



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Paulini ordinatione. Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

conuentus facerent, nullo modo induci poterant Eustatiani, vt cū illis concordia colligarentur. Attamē Eusebius & Lucifer viam sedulo perquirebant, qua eos ad concordiam adducerent. Atq; Eusebius orabat Luciferū, vti Alexandriam peteret, vt cū magno Athanasio de hac re cōmunicaret pollicebaturq; se laborem de illis recōciliadis suscepturū.

De Paulini ordinatione. CAP. V.

AT Lucifer non est Alexandriam profectus, sed rectā contēdit Antiochiā. Ac multis verbis tum apud hos, tum apud illos de concordia habitis, cum Eustatiana factionem, cuius princeps ac dux fuit Paulinus presbiter, ei rei contradicere animaduertit, inconsideratē sane Paulinum eorum creauit episcopū. Quā res dissensionem illam multo diuturniorem reddidit. Nam durauit octoginta quinq; annos, ad præfulatū videlicet Alexandri, omnibus laudis insignibus meritō exornandi: qui ecclesiæ Antiochenæ clauum obtinens, omnes indagare vias, & omne studium alacritatemq; animi conferre non destitit, quo concordiam constitueret, & membrū segregatum cum reliquo ecclesiæ corpore conglutinaret. Lucifer igitur diu Antiochiæ cōmoratus, discordiam adauxit. Eusebius autem aduentans Antiochiam, simul ac morbum, mala iam adhibita curatione, vix aut ne vix quidem posse sanari intellexit, cōscēsa nauē, in occidentem reuertitur. Lucifer quoq; redit Sardiniam: cœpitq; nouam quandam doctrinam doctrinæ ecclesiasticæ adiicere. Vnde qui eam sint amplexati, ex eius nomine nomen traxerunt, suntque ad longinquum temporis spatiū Luciferiani appellati. Verū extincta est post hanc doctrina, & obliuione penitus deleta. Ista post reditum episcoporum gesta accepimus.

*Quot & quān nefanda gentiles, impetrata ab
eo potestate, in Christianos ausi fuerint.*

CAPVT VI.

Porro dum Iulianus suā obtexit impietatē, vrbes seditiōnibus redundare cœperunt. Nam gentiles errori colēdorū simulachrorū addicti, magna cū confidētia aperire illorum fana, celebrare nefanda, & obliuione cōterenda mysteria,